



Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismvs
Catholicus, summam Christianæ institutionis IIII. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

2. Quomodò danda vel eroganda.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

dum: centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. Et hæc est optima fœneratio, & propterea condē natur seruus piger, qui talentum Domini in terram fodit, Matth. 25. De hac eleemosyna & misericordia loquitur Deus per Esa. 58. dicens ut pauperibus benefaciant, dent cibum esurientibus, nudis vestitum, &c. hæc opera potius vult, quām illorum ieiunium & castigationem corporis, quod ad lites & contentionem faciebant &c.

Secundò, Matth. 6. docet Christus modum & formam, quomodo fiat eleemosyna, & inquit: Cūm facis eleemosynam, noli tuba canere antè te, sicut hypocritæ faciunt in synagogis & in vicis, vt honorentur ab hominib. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Te ergo dante eleemosynam, nesciat sinistra quid faciat dextra tua, vt sit eleemosyna tua in abscondito, & pater tuus qui videt in abscondito, red det tibi. His verbis primo corrigit Christus eleemosynam hypocritarum, non opus in se, sed ostentationem, quia propter homines fecerunt, & deinde docet nos deponere illam ostentationem, vt non propter honorem, fauorem, laudem hominum bona opera faciamus, nec propter nostrum commodum & meritum, sed simpliciter propter Deum, sine omni ambitione, aut propriæ gloriæ ac meriti venatione. Sic Paulus loquitur Rom. 13. Qui tribuit, ille tribuat in simplicitate, id est, sine omni iactantia, & ne quis querat suum honorem, fauorem, gratiam, & meritum ab hominibus, nec respiciat ad homines, an gratus sit, nec ne: sed liberè tribuat quod dare vult. Sic Deus quotidiè tribuit solem, pluuiam, non respiciens an grati vel ingratim simus, hæc vocatur simplex intentione. Sed talis eleemosyna simplex propter Deum non reperitur in mundo. omnes querunt laudem, fauorem hominum & magnum meritum, &c. vult enim Deus propter se met ipsum honorari, non propter dona,

K K 4 quæ

quæ sua, sicut omnia, sunt, & ipse propter semetipsum
vult dona exhiberi, non propter nostra facta, ut solus
Deus laudetur & glorificetur in omnibus. At inquis:
David dicit Psalm. 118. Inclinaui cor meum &c. Re-
spond. Propheta respexit ad Dei promissionem, non
in opus operatum suum. At causa promissionis pre-
mij, est Dei voluntas gratuita: quasi dicat, propter re-
tributionem quam tu promisisti, non quam ego o-
peribus merui. Hoc enim Christus exponit, scilicet
eleemosynam fieri debere in abscondito: nam ipse in-
tuetur cor. Quando igitur eleemosyna, testamentū
legatio, fundatio, &c. ea intentione fit, vt indē fa-
mam, laudem & gloriam quæramus, nihil promere
bit apud Deum. Igitur in abscondito fieri eleemosy-
nam, est, quando homo non quærerit iactantiā vel glo-
riam, sed vt liberè detur, non curando an coram ho-
minibus habeat laudem vel non, dum Deus qui re-
tribuit, & cor & omnia nostra respicit, & ad solam il-
lius laudem & gloriam facienda sunt eiusmodi, siue
indē veniat gratitudo coram hominibus, siue ingra-
titudo. Hic requiritur simplex oculus, solum in De-
um respiciens, illum diligens & laudans: & haec est
vera & Christiana forma omnium bonorum ope-
rum, quæ fieri debent à Christianis, id est, solam glo-
riam & laudem Dei sine quaestione nostri commo-
di vel meriti.

Tertio, est ne aliquid præmium eleemosynæ, quia
dicit Christus, Et pater qui videt in abscondito, red-
det tibi, Matthæi 6. Tob. 4. Eleemosyna ab omni pec-
cato & morte liberat. Ecclesiast. 3. Eleemosyna pau-
peris nō erit in obliuionem. Dan. cap. 4. Peccata tua
eleemosynis redime, & Lucæ 11, Date eleemosynam,
& omnia munda erunt vobis. Respon. Eleemosyna
habet magnum præmium in hac & post hanc vitam,
sed oportet primò scire differentiam inter meritum
Christi & meritum nostrum: meritum Christi ex-
tendit